

litate frigiditas, & econuerso. Est is optimus iuuenis & solers, vtrum cum hac subtilitate sanguinis sit frigiditas, vel caliditas? Non possum deprehendere, dominū alicuius qualitatis actiue, non video frigiditatem dominari: nam si dicerem frigidum cor, tum spiritus essent frigidi, tum in cerebro si esset frigidum, congelarentur. Non video caliditatem, igitur in actiuis se habet temperatē. Cor nec excedit in caliditate, nec in frigiditate: si compares cholericō, frigidum erit: si melancholico, calidum. Habet operationes optimas, nec valde timidus est, sic est in substantia totius valde resolubilis, & hoc propter subtilitatem sanguinis. Est enim habitus subtilis, per quē facile sanguis & spiritus resoluitur. Ideo istud corpus est facile resolubile, tum ratione constitutionis corporis humorum & spirituum. Omnia mala eius oriuntur à subtilitate sanguinis & spiritus: nam facile hæc corpora rara alterantur ab omnibus causis, tam intrinsecis, quā extrinsecis. Is iuuenis à teneris fuit deditus studiis, dum vacaret literis, & resoluere spiritus, & comederet cibos quosuis: cum parum exerceret corpus, animum autē valde, facile spiritus accendi, & facile humores adusti. Nam vbi non est nec frigiditas, nec caliditas, spiritus facile alterantur, & corpus in alteram dispositionem, contrariam videlicet, venit, & facta pustula, &c. Postea magis in grandiori ætate studuit, ac præ ardore studiorum non prandebat. Quantum autem corpora resoluuntur, quando laborant & ieiunāt, notum est. Scitis quod dicat Hippocrates de iis, qui assueti prandium capere, & negligunt, inde rugitus patiuntur. Hinc peior est repletio post inanitionem, quā inanitio post repletionem, ex quo auctæ cruditates, nam ventriculus non benè concoquebat, nec ordinē seruabat in cœna, & ita ventriculus deperditus, & cruditates cumulatae sunt. Ex his omnibus cum corpus tam laxum sit, duo fuerunt consecuta. Primò, quod corpus hoc priuatè fuit infrigidatum, quia in membrorum substantia substantiè non est talis frigiditas, sed quod propter paucitatem spirituum, & tenuitatem sanguinis à quauis causa leuissima possit induci. Secundò item accessit extraneū frigus ex assiduitate discēdi: vnde perpeffus ista omnia vētriculus, nō sine causa ad hæc mala deuenit. Primò, quod tardè concoquit, & hoc ei naturale est: nam est subtilis texturæ, & hi facile malè concoquunt. Accessit materia pituitosa, frigida, per quē affluxum eius infrigidatur ventriculus. Et vsus est auxilio Medicorū in cruditatibus, qui euacuauerunt eum, & dederunt ei califica, & quæ calefaciunt, exiccant. Talia autem corpora rara cum periculo calefiunt: nam & boni exiccantur humores, à quibus sustentabatur corpus. Redditus igitur ventriculus imbecillus ab intemperie frigida, tarditas concoctionis & inappetentia consequitur propter duo: primò, quia membra eius non attrahunt, vt oportet, à qua attractione fit fames naturalis, licet eius sint quinque causæ, quas ordine Galenus 4. de Caus. symptom. ponit. Secundò, propter humores crudos, quia frigidus & humidus humor relaxat ventriculum, & non fit appetentia: nam hæc appe-

A tentia fit à frigida materia sicca, quæ corrugat ventriculum. Patitur dolorem capitis, propter ascensum vaporum à ventriculo, & à venis: nam vbi mala conctio ventriculi, reliquæ etiam malæ sunt conctiones. Patitur item vertiginem, quando famem patitur: nam cum habeat spiritus subtiles, & qui facile resoluantur, in horum locū succedunt vapores, & excitant vertiginem propter eandem causam. Non discurret, & imaginatio læditur: quia spiritus subtiles facile resoluantur.

B iam ego dicerem, quod caueret à medicamentis omnibus: nam medicamentum quod in alio leue videtur, in hoc erit graue. Est enim corpus minimè accommodatum medicamentis. Igitur vtatur leuiter alterantibus, & in sex rebus non naturalibus bonum seruet ordinem. Leniter se exercent: item recreet animum: cibus bonus sit: vinum generans spiritum & sanguinem bonum. Etsi corpus vult esse sanum, abstineat à venere, quia eius corpus non est ad venerem aptum. Inanitio & alia sint moderata. Vtatur dulcis aquæ balneis, & moretur in eis: quia etiam excrementa ex musculis & venis facile euacuabuntur. Pro confirmatione ventriculi & euacuatione humoris crudi, siue exiccatione, vtatur terebinthina Cypria. Primò absterget ventriculū, obstructiones aperiet, non faciet calefactionem alterantem. Quantum ad purgantia soluentia, non consulo capere pillulas, vel hamech, in quibus est scammonē, rhabarbarum, colocynthis: nam hæc nocuisse est expertus: nec ab alijs fuit adiutus. A thermis abstineat: non enim sunt pro isto corpore, quia immoderate calefaciunt & exiccāt. Pro euacuatione iterum dico, non recedat à terebinthina Cypria, & non transgrediatur rhabarbarum. his poterit curari.

CONSILIVM XXXIX.

Pro puero Hebræo epileptico cum somni profunditate, & febre, recitante Doctore casum.

E **S** T puer trium annorum. eoque casus difficilior: non enim medicinas ita sumere, vt senior potest. Hic puer est temperaturæ calidæ & humidæ in ista ætate, qui indulfit gulæ, ingessitque cibos plurimos, ita vt deuenit ad hos morbos. Bis ad nuptias est delatus, vbi cibaria dulcia & pingua ei exhibuerūt. Hinc consequutus ex paroxysmus epilepticus, è quo euasit: nihilominus tamē mansit repletio & obstructio. Sunt tres dies ex quo me vocarunt. Febris adesse videbatur tertiana. Leniui ventrem cum clysteri sine oleo. Cum enim beneficium alui non habuit, sequenti die exhibui hieram, quæ eduxit aliquid, nō tamē copiosè: quare rursus addidi clystere, quod reliquum eduxit: postea dedi cichoreū ad interficiendos vermes, qui ex pituita generantur: deinde deueni ad alia clysteria, & habui rationem epilepsiæ, & aucti sunt vermes: sic deuenit ad maximum somnum. Exhibuimus agaricum cum oxymelite, superuenit rigor durans per duas horas. Oleo absinthio volui roborare ventriculum, & interficere vermes. Videmus nunc strepitum dentium, & plurimum